

1571

Venetorum
diversa sen-
tentia de
Barbari li-
seris.

Gransiani,
Galliae Re-
gis legati,
Byzantio
redeuntis
ad Venetos
de pace,
oratio.

conjungerentur, veritos, finem bello imponere Turcas velle arbitrarentur; ne uno, atque eodem tempore tot in ipsos conversa arma experiri cogerentur. Suspiciabantur plerique, id astu & arte effectum, ut inter Venetos, ac reliquos Principes suborta diffidentia, ac simultate, foedus inturbaretur, Republicamque sociorum subsidiis nudatam facilius opprimerent. Per id ferme tempus Gransianus, Caroli Galliarum Regis nuntius, e Byzantio Venetias accesserat; atque ad Principem privatum introductus, quod a publico colloquio cum sui, tum Turcarum Regis causa abstinere se velle diceret, in hanc sententiam est locutus: *Superioribus mensibus Regis literas a Ferrerio apud Rempublicam legato accepisse, quibus Selymo significare jubebatur, ortum inter illum, ac Venetos bellum Carolo minime probari, quod pro amicitia, quae sibi cum Republica intercederet, agre injurias ei illatas pateretur. Haec cum Bassae communicasset, Selymum se alloqui voluisse, atque ad Chrysopolin, e regione Byzantii in Asia oppidum, quo saepe, ut liberius iis, quos cum velit, colloquatur, divertere solet, evocasse: eo in loco cortina latentem, ex purpuratis quodam interpretante, huiusmodi ad se verba habuisse. Regis tui nomine nunc mecum de pace loqueris, cum mea classis, atque copiae in Cyprum trajecerint? cum Leucosia concutiatur? cum vicissim cruore manus madeant? qui id convenit? Tum Regi respondisse, se quae in mandatis habuerat, exposuisse: Venetis a quoquam damna inferri Carolum pati non posse. Deinde de Leucosia capta acceptis nuntiis, iterum vocatum Regem sibi dixisse: Tempus, quo de pace agatur, adesse; illius conficienda facultatem Carolo concessurum. His auditis, statim itineri, ut haec ad Senatum perferret, se commississe, literas ea de re Selymi, ac Mehemetis ad Regem habere: quatuorque mensium spatium ad responsum referendum obtinuisse. Haec, quae a Gransiano narrabantur, an ita essent, etsi minime constaret, attamen multis argumentis a concordia non alienus Selymus censebatur. Nec multos post dies Barbari nuntius una cum Matteca interprete supervenit. Exinde varia agitari in Senatu coepta: nonnulli, ne quae ostentabatur, pacis spes elabi sineretur, sentire: alii artes, atque dolos hostium rati, ut foedus acrius urgeretur, suadere.*